

	Anno.
nia, teste Epiphanio (<i>haeres.</i> 30), et percussit Darium; deinde sex annis in Asia.	
A morte Alexandri M. ad initium aerae Graecae, sive Seleucidarum.	12
Exinde ad mortem Simonis Machabaei in Doch occisi (1.º Mach. XVI, 16).	178
A morte Simonis ad Christum natum.	134
A nativitate Christi ad ejus mortem, quae contigit anno aetatis ejus 34 inchoato, proinde, anni, sed non completi.	34
Summa.	487

Quod est dimidium hebdomadae ultimae.

Proinde mors Christi, in hac sententia, incidit in annum Olympadicum 808, hoc est, annum quartum Olympiadis 202. Nativitas vero, in 776, hoc est, annum quartum Olympiadis 194, ut vult sententia communis.

THESIS XIII.

Christus D. in Bethlehem erat nasciturus; et templum Zorobabelicum ab Illo erat, praeter templo Salomonico, glorificandum.

62. I.ª Pars est fide certa et prob.

1.º De facto, et veluti a posteriori, patet ex Ev. Matthaeo (1): *Cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda...*

2.º Praedictum etiam id fuisse a Sp. Sancto certum est; ait enim propheta (2): *Et tu Bethlehem, Ephrata, parvulus es in millibus Juda; ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israël, et egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis.* Planum non posse haec intelligi nisi de Duce illo, et Messia a Judaeis expectato, cui soli tanta excellentia poterat convenire. Sed ex consequentibus sacri textus amplius elucescit: ait enim, quod primum Dominator ille Judaeos dimittet ad tempus: deinde autem convertentur: quod stabit ac reget illos in fortitudine Domini, in sublimitate nominis Domini Dei sui, etc.

3.º SS. Patres, communi sensu, de Messia locutum Prophetam intellexerunt: Hieronymus (3): «Ex hoc parvulo viculo »egredietur Christus, qui est Dominator in Israël... carnis assumptio divinam non impedit majestatem, de me enim natus est ante »omnia secula, et temporum conditor in tempore non tenetur.»

(1) II, 1.—(2) Michae., V, 2.—(3) In Michae., c. V.

Judaei quoque sic intelligebant: cum enim interrogasset Herodes omnes principes sacerdotum et scribas populi, ubi Christus nasceretur, dixerunt ei (1): *In Bethlehem Judae: sic enim scriptum est per prophetam; et tu, Bethlehem, terra Juda...* etc.

63. II. Pars prob. 1.º Ut Deus Zorobabelem et summum Sacerdotem et universum populum adhortaretur ad perficiendum templum, eosque erigeret et consolaretur; (lugebant enim, humilem illam domum cum templi Salomonici magnificentia conferentes) misit prophetam, et dixit eis (2): *Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? Et quid vos videtis hanc nunc? Numquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris? Et nunc confortare Zorobabel... Confortare omnis populus terrae;... Quia haec dicit Dominus exercituum: Adhuc unum modicum, et ego commovebo coelum et terram, et mare et aridam; et movebo omnes gentes. Et Veniet desideratus cunctis gentibus; et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum, et meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissimae plus quam primae, dicit Dominus exercituum; et in loco isto dabo pacem.*

Ex his patet, templum illud humile (*quasi non esset* respectu prioris) gloria implendum et supra Salomonicum exaltandum, propter adventum *Desiderati cunctis gentibus* et propter pacem in illo exhibendam. Sed qui benedicturus erat Gentes, et allaturus pacem ac reconciliationem erat Messias; ut ex supra dictis patet, (Thes. III et VI): ergo.

64. Confirm. 1.º SS. Patres communi sensu de Messia fuisse haec dicta intellexerunt. Hieronymus ait (3): «Veniet desideratus cunctis Gentibus, *Dominus noster atque Salvator.*»

Confir. 2.º, ex Hebraeorum traditione. Etenim sermonem hic esse de Messia, docetur in Paraphrasi Chaldaica, in Thalmudistarum libris, et a praecipuis eorum Rabbiniis.

2.º Malachias ait (4): *Ecce ego mitto Angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum sanctum suum Dominator quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis.*

Haec prophetia, ex definitis supra Messiae characteribus, aperte de eo loqui intelligitur: ille Dominator simpliciter et absolute a Judaeis expectatus, non est alius nisi Messias; similiter Angelus, seu Mediator, Novi et a Deo promissi Testamenti, Messiam ipsum refert. In consequentibus Propheta dicit, justitiam et

(1) Matth. II, 5, 6.—(2) Aggaei II, 4, 5, 7-10.—(3) In Aggae.—(4) III, 1.

sanctificationem ab eodem afferendam; quod Messiae convenire, etiam ex dictis patet.

Unde ait Hieronymus (1): «Nullisque dubium est, quin Dominator iste Salvator sit, qui Creator est omnium, et Angelus testamenti, et magni consilii Angelus appellatur.»

Judaeos autem de Messia etiam hanc intelligere prophetiam, testatur (ibid.) Hieronymus: «Judaei hoc quod dicitur: *ecce ego mitto Angelum meum*, de Elia propheta intelligunt; et quod sequitur: *Statim veniet ad Templum suum Dominator...* etc. referunt ad *ἡλειμμένον*, hoc est, Christum suum, quem dicunt ultimo tempore esse venturum.»

Verum in hoc errant Judaei, quod velint Messiae istam praedictionem ad ultima referre tempora: hoc enim obvio sensui adversatur. Rem enim prope eventuram significat Propheta: *Ecce ego mitto Angelum meum... Et statim veniet ad templum...* Deinde loquitur de templo Domini, quasi Judaeis noto; ad illud ergo praesens templum referre dicta verba debebant; praesertim cum paulo ante dixisset Aggaeus; quod foret templum illud summe glorificandum, cum veniret *Desideratus cunctis gentibus*.

THESIS XIV.

Promissus Messias passurus erat, et dein resurrecturus.

65. Fide constat haec thesis. I.^a Pars prob.

1.^o In symbolo fidei habetur: «Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus.»

2.^o Christus D. dixit (2): *Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? Et incipiens a Moyse et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quae de ipso erant*. Et rursus: *Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati*.

Petrus (3); testabatur Judaeis: *Deus, quae praenuntiavit per os omnium prophetarum, pati Christum suum, sic implevit*.

3.^o Aperte locutus est Daniel (supra Thes. XII): *Occidetur Christus*. Isaias autem (4): *oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum...* etc. Insuper videas caput L ipsius prophetae, nec non Ps. XXI, et LXVIII, in

(1) In Malach. c. III.—(2) Luc. XXIV, 26, 27, 46.—(3) Act. III, 18.—(4) LIII, 7, 8.

quibus historia, potius quam praedictio, passionis Christi describitur.

66. II.^a Pars prob. 1.^o In Symbolo item Apost. dicitur: «Tertia die resurrexit a mortuis.»

2.^o Ibidem, apud Lucam: *Aperuit illis (Jesus) sensum, ut intelligerent Scripturas, et dixit eis: Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati et resurgere a mortuis tertia die*. Petrus (1) verba Davidis (in Ps. XV) commentans, nempe: *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*; ait: *Propheta igitur cum esset et sciret quia jurejurando jurasset illi Deus, de fructu lumbi sui sedere super sedem ejus: providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem*. Paulus quoque (2): *Auxilio Dei adjutus, usque in hodiernum diem sto, testificans minori atque majori, nihil extra dicens, quam ea quae prophetae locuti sunt futura esse et Moyses; si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum*.

Isaias (3) fore a mortuis resuscitandum Messiam, clare significavit: *Audite, et vivet anima vestra, et feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles*. *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac praeceptorem gentibus*. Quam promissionem respicere Christi resurrectionem, testatur Paulus (4): *Quod autem suscitavit eum a mortuis, amplius jam non reversurum in corruptionem, ita dixit: «Quia dabo vobis sancta David fidelia*. Etenim Messiam nomine David passim a prophetis vocari, quia futurus erat ipsius filius, supra diximus. Unde *Misericordias David fideles, seu, Sancta David fidelia*, id est Sanctum Filium David, futurum, ex *Pacto Dei sempiterno*, non tantum Judaeis, sed omnibus populis et Gentibus, *testem, ducem, ac praeceptorem* in aeternum, promittit Deus per Isaiam. Atqui ad hoc requiritur, ut Deus illum a mortuis suscitaret, ut supra, ex prophetia David argumentabatur Petrus: quomodo enim sedem haberet in aeternum Davidis super omnes populos, si in sepulcro et corruptione mansisset?

Perspiciue etiam Messiae resurrectionem Isaias declarat (5), dum fructum et praemium passionis ac mortis illius praedicit. Ait enim: *Oblatus est quia ipse voluit... De angustia et de judicio sublatus est. Generationem ejus quis enarrabit? Quia abscisus est de terra viventium. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevis, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur*. In hebraico: videbit semen, prolongabit dies, et vo-

(1) Act. II, 27, 30, 31.—(2) Ibid. XXVI, 22, 23.—(3) LV, 3, 4.—(4) Act. XIII, 34.—(5) Is. LIII, 7, 8, 10-12.

luntas Domini per manus ejus prosperabitur.) Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit et saturabitur... Ideo desperatiam ei plurimos et fortium dividet spolia (in hebr. et cum fortibus partietur spoliis), pro eo quod tradidit in mortem animam suam. Jam vero, ejusmodi promissiones, in praemium passionis et mortis Christo factae, optime cum ejusdem resurrectione cohaerent; si autem mortuus sub mortis dominio in sepulcro jacuisset, omnia ista lato quodam et improprio sensu fuere dicta. Quo pacto enim videt semen, prolongat dies, cooperatur voluntati Dei, dividit, ut triumphator, cum fortibus spolia...? Ideo jure Chrysostomus (1) haec de Christi intelligit resurrectione.

67. Confirm. Angelus dixit Mariae (2) *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum.* Pariter Jeremias (3): *Non dominabuntur ei amplius alieni; sed servient Domino Deo suo, et David regi suo, quem suscitabo eis.* Et infra: *Germinare faciam David germen justitiae, et faciet iudicium et justitiam in terra. Non interibit de David vir, qui sedeat super thronum Israël.* Pariter Daniel (4) de Messia ait: *Dedit ei potestatem et honorem et regnum: et omnes populi, tribus et linguae ipsi servient: potestas ejus, potestas aeterna, quae non auferetur; et regnum ejus, quod non corrumpetur.* Sed nisi Messias resurgeret, non posset ei tale regnum tribui: ergo Messias resurrecturus erat.

ARTICULUS IV.

De Messiae Adventu.

Vidimus promissum fuisse Messiam, nec non, certis notis ac characteribus, Judaeis per Prophetas descriptum: nunc igitur, adversus incredulitatem Judaeorum, jam pridem advenisse facile ostendi poterit.

THESIS XV.

Messiam jampridem advenisse non est dubitandum.

68. Thesis, ut patet, est fide catholica omnino certa.

Prob. 1.º Mulier illa Samaritana ajebat (5): *Scio quia Messias venit (qui dicitur Christus): cum ergo venerit ille, nobis an-*

(1) In Ep. I, ad Corinth. hom. 38, n. 3.—(2) Luc. I, 32.—(3) XXX, 8, 9; XXXIII 15, 17.—(4) VII, 14.—(5) Jo. IV, 25, 26.

nuntiabit omnia. Dicit ei Jesus: *Ego sum, qui loquor tecum.* Id quoque testatus est Zacharias (1): *Benedictus Dominus Deus Israël; quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suae; et erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui; sicut locutus est per os prophetarum ejus.*

2.º Juxta Jacobi vaticinium (supra. Thes. XI), non poterat deficere sceptrum è Juda, et dux è femore ejus, donec adveniret Messias. Sed nisi jam venerit Messias, nullum a multis seculis existit sceptrum è Juda, nullus dux è femore ejus: ergo certissime venit Messias.

3.º Septuaginta hebdomadae a Daniele praedictae jam pridem transierunt. Sed intra illas dixit Angelus venturum esse Messiam (supra, Thesis, XII); ergo jam pridem venit.

Maj. patet. Primo: hebdomades illae initium habuerunt ab edicto Cyri, (ibid. Schol. II. n. 55); ergo jam pridem transactae. Secundo: illae hebdomadae decurrere debebant inter sermonem de aedificatione Jerusalem, civitatis et templi aedificationem, utriusque dissipationem et desolationem a populo et duce advena, et cessationem hostiae ac sacrificii. Sed haec omnia a multis abhinc retro annis completa fuere; ergo et hebdomadae.

4.º Venturus erat Messias extante templo Zorobabelico, (supra Th. XIII). Atqui templum illud dirutum fuit ante mille septingentos annos; ergo.

69. Obj. 1.º Jacobi verba: *Non auferetur sceptrum de Juda... donec etc.* possunt continuationem et perpetuitatem sceptri indicare non autem cessationem ipsius. Sed in hac hypothesis nihil concludere licet pro adventu Messiae: ergo venisse non probatur.

Resp. 1.º Verba Jacobi, absolute et abstracte perpensa, possunt continuationem significare; conc. major. Si de adjunctis ratio habeatur, scilicet, perpensis etiam aliis prophetiis, nec non facto ipso totius Judaeorum populi dispersionis; nego: vel si placeat, subdist. Possunt verba illa significare continuationem sceptri proprie ac literaliter intellecti; nego: spiritualiter et metaphorice; conc. Etenim spiritualiter populus ille et nunc perseverat in Ecclesia et in christianis, qui per fidem filii sunt Abrahamae, ut dixit Apostolus (2).

Resp. 2.º Dist. min. Nihil potest ex Jacobi prophetia concludi pro Messiae adventu, si indicaret continuationem sceptri proprie ac literaliter sumpti; conc. quid enim probari posset ex falsa prophetia? Si solum indicaret continuationem sceptri mystice et eminenter accepti, concedo etiam, nego autem suppositum; quia

(1) Luc. I, 68-70.—(2) Galat. III, 7.

adversatur communi Patrum et Doctorum catholicorum consensui.

Et sane, ut supra illam expendendo prophetiam vidimus, agitur in ea de constitutione tribus Judae proprie sumptae: et de Principibus ipsius; cum ergo dicitur, non defecturum tribum, neque Principes ejus, debet hoc in sensu quoque proprio intelligi, sive adsit praeterea alius sensus mysticus, sive non: numquam enim sensus proprius est rejiciendus, nisi cogat evidens necessitas. Nullatenus ergo audiendi sunt pauci illi auctores, qui voluerunt; agi tantum in hac prophetia de *continuatione* sceptri mystice et spiritualiter intellecti.

Particula *donec* indicat rei vel actus continuationem versus aliquem terminum; utrum autem ea duratio in eo termino sistat, vel ultra progredi debeat, ex adjunctis definiendum est. Sub utroque sensu adhibetur particula haec in sacris Literis. Ex. gr. Juravit David (1): *Si dederò somnum oculis meis... donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.* Intelligitur quidem, quod abstinerebit a somno, dum non inveniatur locum aptum templo aedificando; quod autem illa vigilia ultra non progredietur, ex ipsa rei natura dignoscitur. Pariter dictum est (2): *Consenserunt cum esse ducem suum, et summum Sacerdotem in aeternum, donec surgeret Propheta fidelis.* Patet consensum in termino illo sistere, nec ultra progredi: volunt enim, quod, Propheta fideli surgente, hic decernat, quis futurus sit dux ac summus Sacerdos. E contra; dicente Petro (3): *Habemus propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, donec dies elucescat in cordibus vestris;* nullatenus indicare vult, ut, postquam fuerint illuminati, non amplius attendant sermone prophético; sed indicat tantum, quem fructum ac terminum desideret eos capere ex prophetiis, ad quas perpendendas eos hortatur. Similiter, dixit Deus Christo (4): *Sede a dextris meis donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum:* non sane, quod tunc recedere debeat a dextris Dei; sed quo pervenire debeat triumpho Christi magnitudo; nempe, ut inimici omnes scabellum fiant gloriae ejus significatur. Pariter dixit Matthaeus (5): *Et non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum;* ut explicaret conceptum ac nativitatem Christi virginalem, ex sola, scilicet, Spiritus Sancti virtute; non vero ut indicaret, post divinum partum, recessisse Josephum et Mariam a proposito virginatis colendae.

Ex hisce exemplis patet, in prophetia Jacobi particulam *donec* continuationem, utique, *sceptri* usque ad Christum significare;

(1) Ps. CXXXI, 4, 5.—(2) I Machab. XIV, 41.—(3) II Petr. I, 19.—(4) Ps. CIX, 1, 2.—(5) I, 25.

utrum autem ultra progredietur, vi vocis definiri nequit: cum autem *sceptrum* defecerit, Messiam advenisse recte concluditur.

70. Objic. 2.^o Messias, cum venerit, salvabit domum Juda et Joseph, et erunt sicut fuerunt quando non projecerat eos (1); *conteret jugum ejus, et non dominabuntur ei amplius alieni, sed servient Deo suo et David regi suo,* Messiae nempe (2). Ergo nondum venit Messias.

Resp. conc. *ant* et explico: quae ibi dicuntur fient, cum Messias primum venerit; nego: tum enim potius rejicientur Judaei et dispergentur propter eorum infidelitatem; (vide supra, Thes. IV) Haec praestabit Messias, cum tandem Judaei convertentur (supra, Thes. V); concedo.

Obj. 3.^o Neque inter Doctores christianos certo constat, quale sit hebdomadam Danielis initium: ergo neque liquet, utrum fuerint completae.

Resp. Dist. *ant.* Non constat certum initium *positive* et *individualiter*; transmittitur; *negative* saltem et *confuse*; nego. Constat enim certo nec initium, nec complementum earum hebdomadam in suspensio esse, vel posse expectari.

THESIS XVI.

Jesus Christus est Messias olim a Deo promissus.

71. Probatur thesis, quae est fide credenda.

1.^o Samaritana dicenti (3): *Scio quia Messias venit; cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia;* respondit ei Jesus: *Ego sum qui loquor tecum.*

2.^o Jesus Christus confirmavit se esse Messiam miraculis, prophetiis, et sua ipsius resurrectione: ergo. *Ant.* prob. Ait Dominus (4): *Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem et viderunt, et oderunt et me, et Patrem meum.* Cum autem Jesum interrogassent Judaei (5): *Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam.* Respondit eis Jesus: *loquor vobis et non creditis. Opera, quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me.* Denique, in nomine Dei a summo Sacerdote interrogatus (6): *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei.* Dicit illi Jesus: *tu dixisti.* Vide alibi (7) et resurrectionis argumentum.

3.^o Eo tempore, quo vixit Christus, debuit adventus esse Mes-

(1) Zachar. X, 6.—(2) Jer. XXX, 8, 9.—(3) Jo. IV, 25, 26.—(4) Ibid. XV, 24.—(5) Ibid. X, 24, 25.—(6) Matth. XXVI, 63, 64.—(7) Ibid. XII, 39, 40.

siae. Sed tunc non alius fuit, praeter Jesum, cui notae ac characteres Messiae convenirent; nempe, expectatio salusque Gentium, sanctissimus, potentissimus, signaque faciens, Filius David, etc. Ergo ipse est Messias. *Major* patet ex thesi praecedenti. Nam eo tempore complebantur Danielis praedictae hebdomadae: post paucos annos tribus Juda dispersa fuit, omnisque sceptri et principatus umbra evanuit; dissipata civitas, subversum Sanctuarium; ablata hostia et sacrificium; etc.

72. 4.° Messias talis sit oportet, ut dignosci valeat; nempe, *Lux Gentium* (1), *Signum populorum* (2). Sed nisi Jesus Christus sit ipse Messias, nullatenus hic dignosci poterit: ergo. *Min.* patet. Nam, nullum signum, nota nulla in Jesu Christo desideratur, ut Messias esse existimetur: si ergo ipse non esset verus Messias, notae quibus est dignoscendus, ambiguae forent, inanes et incertae. Qua de causa factum est, ut Judaei, negato Jesu Christo, post plures et fallaces abirent Messias, et tandem desperarent, ita ut suis in ritibus solemnes deprecentur maledictiones adversus omnes, qui de adventu Messiae sermonem inducant.

5.° Messias jam venit (ex Thes. praec.): vel est igitur Christus, quem duodecim Judaei Apostoli, magnis signis et portentis, suoque sanguine praedixerunt; vel alius David et Abrahae filius, cui superius expositae conveniant notae: atqui non est ullus alius Messias, ut ipsi fatentur Judaei; ergo Jesus Christus est verus Messias.

73. Obj. 1.° Veniet Messias in diebus *novissimis* (3): ergo nondum venit.

1.° Resp. Dist. *ant.* *Novissimis* respectu legis Naturae et legis Mosaicae; conc. *Novissimis absolute*; nego. Vide 1.° ep. Jo. II, 18.

2.° Dici quoque forsitan potest, loqui Isaiam ibi de tempore illo Legis Novae, quo Gentes omnes simul cum Judaeis ad fidem redeuntibus Christum adorabunt.

Obj. 2.° Ante Messiae adventum praecedet Elias. Sed Elias nondum venit; ergo neque Messias.

Resp. Dist. *ant.* Praecedet adventum secundum in gloria; conc. Adventum primum in humilitate; subd. Praecedet Elias in spiritu; conc. In persona propria; nego. Qua de re vide Matthaeum (XI, 14; et XVII, 11-13), et Joannem (I, 21, 25), nec non Lucam I, 17.

Obj. 3.° Messias allaturus nobis erat justitiam et abundantiam pacis; sed nondum haec visa sunt; ergo.

Resp. Dist. *Ant.* Pro iis qui Messiae fide plena adhaereant;

(1) Isai. XLII, 6.—(2) Isai. XI, 10.—(3) Is. II, 2.

conc. Pro caeteris; nego. Unde dixit Dominus (1): *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet.* Qua de re vide et Paulum (2); nec non et Danielelem (3), ut ad alia id possis referre tempora.

74. Obj. 4.° Messias regna omnia, gentesque subjugabit. Sed haec non perfecit Christus; ergo non est Messias.

Resp. Dist. *ant.* In secundo adventu; conc. Cum primo in humilitate venerit; nego, vel subd. Quatenus Messiae Gentes omnes, Judaei quoque, vel volentes, vel reluctantes subjiciuntur; conc. Aliter; nego. Ad rem Origenes (4): «Id autem et Celsus et illius Judaeum, et quotquot Jesu non credunt latuit, duos a Prophetis praedictos esse Christi adventus; priorem humilem et humanis infirmitatibus obnoxium, ut cum hominibus degens eos doceret viam quae ducit ad Deum, nullique hominum relinqueret locum excusandi se futuri iudicii ignorance: alterum gloriosum, divinum tantummodo, et ubi divinitas nihil humanae infirmitatis admixtum est habitura.» Ad hunc ergo secundum adventum refert infra (5) Origenes eam Christi gloriam et potentiam. Et Justinus (6) etiam: «Quod si in primo adventu, qui inglorius et informis et despectus fuit, tantum resplenduit... Nonne in glorioso adventu omnes prorsus evertet, qui eum oderint, et qui ab eo inique defecerint; suos autem inducet in requiem, omnibus eos expectatis bonis remunerans?» Videas et Irenaeum (l. 4, c. 33); Tertull. (l. *adversus Judaeos*, c. 14).

Obj. 5.° Messias reducturus erat Judaeos a captivitate. Sed hoc fecit Cyrus, non autem Jesus Christus: ergo nequit ipse esse Messias.

Resp. Dist. *maj.* *Universos Judaeos*, et in *perpetuum* cum ceteris bonis, quae, etiam post reditum a captivitate Babylonis praedixerunt prophetae; et quidem cum Judaei ad Christum convertentur; conc. A captivitate illa Babylonica; nego *maj.* Et contra distincta *minori*, nego *conseq.*

(1) Jo. XIV, 27.—(2) Eph. II, 17, 18.—(3) VII, 21-27.—(4) *Contra Celsum*, l. 1, n. 56.—(5) L. II, n. 29.—(6) *Dial. cum Triph.* n. 121.